

*non comedetis, quia anima carnis in sanguine est.* Hæc verba de cunctis entibus viventibus intelliguntur, ac proinde de vita animali. Deus autem esum sanguinis prohibuerat, ut Israelitæ ab omni crudelitate magis essent alieni. Ergo, etc.

*Obj.* 2°. Si anima belluarum sit immaterialis, debet esse immortalis: atqui hoc repugnat. Ergo, etc.

*R. Nego maj.* Ex eo enim quod anima belluina a corpore sit distincta, recte concluditur dissolutionem corporis illam non destruere, non autem illam futuram esse immortalem: ad hoc quippe necessarium foret ut positivis argumentis ostenderetur Deum velle eam conservare: atqui nulla sunt hujusmodi argumenta in gratiam belluarum, quæ Deum ignorant et ordini morali prorsus extraneæ sunt. Ergo, etc.

*Inst.* 1°. Nulla pars materiæ *annihilatur*, sed tantum novas induit formas: ergo, a pari, anima belluina, quæ nobilior est materia, *annihilari* non debet.

*R. Nego conseq. et paritatem.* Ratio disparitatis est quod, dissoluto corpore, materia ad aliquem finem destinata esse non desinat; tunc enim ejusdem fit naturæ ac cætera elementa ex quibus conflatur mundus, ac proinde eandem habet destinationem. Contra vero, anima concessa est belluis ut earum conservationi invigilaret, easque in obeundis functionibus dirigeret: nullis indiciis manifestat se ad sublimiorem finem destinari: porro cessante fine propter quem fuit creata, statim in nihilum proprio pondere labi debet. Ergo, etc.

Quidam metempsychosim pro belluis admittunt, ita ut una moriente, anima ejus in aliud corpus eo instanti alibi formatum transeat. Systema istud non demonstratur falsum; igitur admitti potest si magis arrideat, quamvis nulla ratione positiva innitatur.

*Inst.* 2°. Multæ belluæ plus experiuntur doloris quam jucunditatis in hac vita: atqui justitia Dei id permittere non potest nisi futura sit vita in qua hæc inordinatio reparetur. Ergo, etc.

*R.* 1°. *Nego conseq.* 1°. Enim belluæ non recordantur

præterita, nisi imperfecte; non prævident futura, dolorum cordis et animi sunt expertes, mororibus non afficiuntur: atqui hæc multo vividius nos exeruciant quam dolores physici: « On ne se tue point pour les douleurs de la goutte, inquit Rousseau (*Emile*, l. 1, t. 1, p. 39): « il n'y a guère que celles de l'âme qui produisent le « désespoir. »

2° Belluæ de seipsis tantum sollicitæ sunt, consimilium miseris non compatiuntur, in servitutum rediguntur, catenis obruuntur; ad opera vilia adhibentur, post multos labores aliis dominis traduntur, publice in foro exponuntur et venduntur, sed hæc non æstimant nec sentiunt: occiduntur, sed de actis non pœnitentes, de venturis non anxie, momentaneum dolorem experiuntur; flagellantur et pro fideli servitio non semel mala recipiunt, sed ingratitude hominum non percipiunt, nec ideo de tali agendi ratione tristantur. Si injucundis sensationibus afficiuntur, mox gratis recreantur, et sic quædam compensatio fere semper instituitur.

3° Multæ bestię minori sensu percipiuntur quam homines, ut ex plurimis experienciis constare videtur. Sic araneis, muscis, scarabæis, etc., pes, ala, crus integrum frangitur vel eruitur, et nihilominus bestiola movetur, et abit fere sicut nihil sibi accidisset; leve dat signum doloris. Fatemur tamen hanc rationem pro majoribus speciebus non valere.

*R.* 2°. *Nego min.* Quoniam belluæ conservationi suæ perpetuo invigilare debent, necesse fuit ut de his quæ sibi conveniunt per sensationes gratas et de noxiis per sensationes ingratas monerentur; dolores igitur, quas experiuntur, ex ipsarum constitutione naturali oriuntur. Si quædam ultra modum ab hominibus exeruciantur, id per accidens evenit, et Deo tribui non potest, sed hominibus qui sæpe ordinationem Dei sapienter institutam deturbant. Ergo, etc.